

IN NOMINE JESU

POSITIONES
NONNULLÆ PHI-
LOSOPHICÆ,

Quas

Divinâ juvante gratiâ,

*Mandato & applausu celeberrimæ
Facult. Philosoph.*

Sub Moderamine

Amplissimi & præclarissimi VIRI

N. JOHANNIS FLACHSENIÏ,
Patroni & præceptoris sui ætatem
maxime suspiciendi


*Pro consequendâ Magisterii dignitate publico
eruditorum examini modestè sistit*

JACOBUS J. LUNDI
Auct. Finl.

Die 12. Novemb. Auditorio & loco
consuetis A. 1679.

ABOË,

Excusæ apud Viduam Hanssoni, A. T.



I. N. 7.

PROLOGUS.

Dolendum est, in tantum
à priscâ & simplici
integritate seculorum
mores degenerasse, ut
si quid æquum, rectum, laudabile
vel animo mediteris, vel ipso actu
feceris, id tamen ingenti strepitu cor-
rodant, infami cavillatione tradu-
cant, puerile & vacivum clamitantes
ingenium, quod in aliorum opere in-
tuendo quidquam morsibus objectum in-
venire, videre & revelare non possit.
Rectè fundus ille amplissima sapien-
tia jam suo ævo in vitam mortalium
respicens, huic tanta malitia sono-

rum illud accommodavit: *Ὅτις οὐκ ἔπει-
ται εἶναι.* Hoc enim, Velleio exponente,
ut seculorum ita hominum notatur dif-
ferentia, Quod si reliquorum, vi-
gilijs, sudore, lassitudine elaboratas lu-
cubrations rigida censura perstrin-
git, quid his positionibus artificio sin-
gulari nec adornatis, nec veste de-
centi vel ampliori diffusis & expo-
litis ab ipso hoc corruptionis globo
fuerit expectandum? Hic modus
est: quod si quispiam multas prolixo
conficiendo exercitio & horas &
tempora impenderit, continuo voci-
ferationibus obvia cuncta turbantur,
hunc talem omnia Philosophorum
scrinia compilasse. Si minus Juda-
verit contentus aliquali operâ, quam
vel necessitas ad moderationem re-
vocavit, vel libertas ipsa suasit, ad
infimam vulgaris gregis sortem in-
indigi-

indigne relegatur. Hac sunt judi-
cia hominum de quibus haud iniuriâ
querela feruntur gravissima. A scri-
bendi proinde opere prudenti si quie-
te abstinuissem, Me fersitan, vel à
me quod prodit sive excogitatum,
sive aliunde collectum, sententijs
tam iniquis abundè liberarem. Ha-
bebunt, in quo sine dubio, linguam
exacuent, fuisse satius tantillum opus
intra tectâ continere, quam publicæ
laci committere, Verum pro me si
bonorum candor & applausus stete-
rit, de tantis hostibus mihi trium-
phasse videor. Nec dubitandi occa-
sionem admitto, constat namq; mi-
hi facti ratio, & bonis eam constare
magnificè scio. Nam brevita-
tem hanc vel negligentiam dierum
paucitas excusabit, & solennis ex-
teriorum ritus, queis in consimili ne-
gotia

gotio splendidum illud gratissimum
est.

Nemo filens placuit, multi bre-
vitate loquendi.

Ceterum de his disquirere jam
supersedebo: Id tantum superadde-
re necesse est, in æquis judiciis re-
ctitudinem ingenij se prodere, in li-
vidis, perversis, inhumanis, ma-
litiæ toxicæ sui voragines ostentare;
pro ratione morum itaq; quilibet pro-
nunciabit. Nos vero candida bono-
rum judicia magni facimus, reliquo-
rum generoso contemptu spernimus.

ADSIT

ADSIT FAVOR JEHOVÆ.

POSITIO PRIMA.

*Anima humana origo ac productio ad
naturales parentes recte & vere
refertur.*

Veritatis cum sit gravissi-
ma jactura, non utile mo-
do, sed & apptimè neces-
sarium est, eam in conspectu sem-
per habere, instar limpidiſſimæ
gemmæ, cujus nitido & prælustri
fulgore ad intuitum rapiuntur il-
li, quibus cum nobilissimis lapi-
lis res est, in eâ haud rarò se ob-
lectantes, cum lucri amplissimam
spem contineat. Veritatem dixe-
rim pro fœnore esse naturam
spectanti, in quam dum inciderit,
vel hecatomben cum Pythago-
râ immolare non recuset. Fre-
quens

A4

quens ergò sit nobis illius rûmi-
natio, ne dissoluti fulgidissimum
thesaurum nostrapte culpâ, per-
didisse videamur. Nam

..... Ferrum, dum transit in usus
Assiduo splendore micat; vultuque nitenti
Audet ad argenti decus adspirare superbum:
At si longa quies ierit. fuscatur & atram
Vertitur in scabiem, celerique absimitur avo.

Ea si unquam in alia re, certè
in hâc, de qua in præsentî agimus,
suis cultoribus pretiosa manebit.
His vero rationibus illam, relictis
cæteris, quæ adduci possent, sta-
bilitum imus.

1. Rectæ rationi convenit ut
generans generet sibi simile in
specie. jam filius patri non esset
similis, si cum illo partem princi-
palio rem, nempè formam pater
non communicaret. Hinc recte
di-

dixit Aristoteles, Homo generat
hominem, nisi quid præter natu-
ram fiat; ut equus mulum: & ho-
mo non potest esse homo sine
animâ rationali, cum sit actus &
forma ejus.

2. Quidquid generatur & pro-
ducitur, illud ratione suæ formæ
generatur. Nam si forma ex-
trinsecus introducit non est ge-
neratio, inquit subtilis Scaliger ex-
ercit: 6. Quia generatio est for-
mæ introductio. Idem.

3. Gignit anima animam sui
promotione, eâdem sanè ratione,
quâ in accretionibus induit sese in
alimenti materiam novam. Et
habemus præ oculis exemplum,
quemadmodum à lampadis flammâ
flammam excipimus, illâ nihilo se-
cius integra manente, Scaliger.

POSITIO SECUNDA.

Mundus æternus non est.

Repugnat enim æternitate gaudere & corpus naturale esse acutissimus fatur Sperlingius. Interim habet hic in quo se avidum sciendi ingenium exercere possit. Diceret: si Deus est creator ab æterno utique mundus est æternus. At; V: P: E: P.

Resp. distinguendū inter creationis decretum quod inde ab æterno fuit, & ejusdem executionem. Hinc regula; Quicquid Cæleste numen ab æterno decrevit in tempore exequitur. Contra Aristotelem.

PO-

POSITIO TERTIA

Sol virtualitèr non formalitèr est calidus.

Explicandi hic veniunt termini ut sensus propositionis hujus fiat expeditior. Formaliter calidū id esse ajunt quod per formam seu qualitatem inhærentem quicquid vel objectum vel subjectum est facit æstuarè. Sic ignis ad motus aquæ, aquam calefacit. Virtualiter vero ardorem excitat quod non facultate quadam innatâ ex formâ profluente, verum virtute diversarum rerum sibi adunitarū aliquid facit incalescere. Hoc modo & non alio Princeps siderum, Sol, suas in calefaciendo hæc inferiora partes exequitur. Radijs suis extracta e terris effluvia

fluvia vel atomos igneas conjun-
git, ob similitudinem, quam hæc
cum illis habent & sic æstatis ar-
dorem producit.

POSITIO QUARTA

*In summo bono determinando veteres
non convenere.*

Plato in suis ideis delicias & ex-
quisitum oblectamentum offen-
dit. Cræsus judicium felicitatis suæ
à Solone sapientissimo homine
petijt, venustissimum se reputans,
quod opulentâ gazâ laboraret.
Epicurus voluptatum sensu affi-
ciebatur, proinde Hunc graviter
damnat Cicero, sequenti modo
perorans: Quidquamne bonum
est quod non cum qui possidet,
meliolem faciat? ut enim quisque
maximè est boni particeps, ita
& laudabilis maximè: neque e-
nim

num ullum bonum, de quo non
is, qui id habeat, honeste possit
gloriarî. Quid autem est horum
in voluptate. &c. Et Varro olim in
hæc retrecenta amplius seu colle-
gerit seu excogitaverit opinionû
divorria. Aug. lib: 29: de civit,
Dei. Atque sic haud absimiles fu-
ere ijs, qui omnes quidem cibi sva-
vitatem appetunt, vario tamen
ac vario delectantur alimenti ge-
nere. Appositè Poeta

*Tres mihi convivæ prope dissentire videntur
Pescantes vario multum diversa palato.*

Nobis vero amplissimum bo-
num est actio non interrupta vir-
tutis & ad vitæ terminum con-
tinuata.

Sed manum de tabula? Bonis me his
satisfecisse non ambigo: Mordentes ve-
ro, lividos, malevolos gratiosos non
exopto, cum gratia malorum tam infi-
da sit ac Ipsi. Vale.

ADDITAMENTA.

*Non omnis propositio syllogistica
inquâ particula negans immediatè co-
pula præmittitur, negativa judicari
debet.*

*Copula propositionis non est ejus-
dem pars materialis, vel formalis
primaria, sed secundaria.*

*Nihil est in intellectu quod non pri-
mum fuerit in sensu.*

*Vir fortis non ideo pugnat ut mor-
tem simpliciter appetat, sed ideo in-
trepidè pugnat, ut si necessitas mori
jubeat, fortiter sustineat.*

*Non omnis προσωποληψία damnan-
da, aliqua & laudabilis.*

SOLI DEO GLORIA.

*Præclara Indolis & exquisita eruditio-
nis lucidè Eximio JUVENI*

DN. JACOBO *ΕΒΝΩ*/
Philosophiæ CANDIDATO Ingenio-
sissimo, populari & Amico suo maximè
dilecto & nunc pro summis in Phi-
losophia honoribus obtinendis
doctè differenti:

*V*iderat ut Phabus claram certare juventã
Et qua Parnasso cura laboris erat,
Fatur & hâc Musas compellat voce novenas:
Gaudia sint nostri mox iteranda chori,
Surgite scicelides, studiis date præmia tantis
Ingenium & virtus laurea ferta volunt:
Quidhic noster amor, titulus clarèscat & alma
Præmia virtutis, suspicienda, ferat,
Felix ingenio sapiens animoq̃, Minervæ
Thesaurus adeat, sænora, dona, deous.
Ut pateat: vigilem qua exornet gloria pubẽ
Et dedecus quantum non studuisse, fiet.

Gratulabundus L.Mq̃;
deproperabat

JOH. FLACHSENIUS
Acad. h, t, RECTOR.

Fœcunda illa, lucens & amabi-
lis literarum gloria; Et mentes hu-
manas ad veram pietatem erigit; & a-
nimorum vitia quâ datâ portâ dispel-
lit; & orbem actionum ad honestatum
regulas disponit; & cursum vitæ, alias
per ancipitia fluctuantem, unicè ad *Portum virtutis* dirigit. Huc dum perven-
tum est, cessat illa tot laboribus, tot
sudoribus, tot adversitatibus quæsitâ
tranquillitas, suorumque fructuum co-
piam uberrimam explicat, involvit,
replicat. Gaudeo igitur & exulto,
cum videam & intelligam, Pereximij
Domini CANDIDATI Principis ami-
corum vigilias, sudores, curam infati-
gabilem, unicè directas ad obtinenda
altissima virtutum privilegia, non mo-
do rectè nunc componi, verum etiam
coronari à regina rerum sapientia.
Vale.

adposuit

DANIEL ACHRELIUS.

